



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd omnibus non est credendum: & de facili lapsu verborum. 45

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

deseruire. Si benè steteris cum Deo, & eius iudicium adspexeris, faciliùs te victum portabis.

2 \* O Domine, quonam venimus? Seruus.  
Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæstu laboratur & curritur, & spirituale detrimentum in oblivionem transit, & vix serò reditur. Quòd parum vel n̄hil prodest attenditur, & quod summè necessarium est, negligèter præteritur: quia totus homo ad externa defluit, & nisi citò respiciat, libens in exterioribus iacet.

## CAP. XLV.

*Quòd omnibus non est credendum: & de  
facili lapsu verborum.*

1 **D**A \* mihi auxilium Domine de Seruus.  
tribulatione, quia vana salus *Psal. 59.*  
hominis: Quàm sæpè ibi non inueni  
fidem, vbi me habere putavi? Quotiens  
etiam ibi reperi, vbi minus præsumpsi?  
Vana ergo spes in hominibus, salus  
autem iustorum, in te **D E V S**. Bene-  
dictus sis Domine Deus meus in om-  
nibus, quæ accidunt nobis. Infirmi-  
sumus & instabiles, citò fallimur &  
permutamur.

2 **Q**uis

1 Quis est homo, qui ita cautè & circumspèctè in omnibus se custodire valet, vt aliquando in aliquam deceptionem vel perplexitatem non veniat?

*Prov. 10* Sed qui in te Domine confidit, ac simplici ex corde quærit, non tam facilè labitur. Et si inciderit in aliquam tribulationem, quocumque modo fuerit etiam implicatus, citiùs per te eruetur, aut à te consolabitur: quia tu non deseres in te sperantem vsque in finem. Rarus fidus amicus, in cunctis amici perseuerans pressuris. Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te non est alter talis.

3 O quàm benè sapuit sancta illa anima, quæ dixit: Mens mea solidata est, & in Christo fundata. Si ita mecum foret, non tam facilè timor humanus me sollicitaret, nec verborum iacula mouerent. Quis omnia præuidere, quis præcauere futura mala sufficit? Si præuisa sæpè etiam lædunt, quid improuisa nisi grauiter feriunt? Sed quare mihi misero nõ meliùs prouidi? Cur etiam tam facilè aliis credidi? Sed homines sumus, nec aliud quàm fragiles homines sumus, etiamsi angeli à multis

multis æstimamur & dicimur. Cui credam Domine? Cui, nisi tibi? Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes. Et rursum: Omnis homo mendax, infirmus, instabilis, & labilis maximè in verbis: ita vt statim vix credi debeat, quod rectum in facie sonare videtur.

4 Quàm prudenter præmonuisti, cauendum ab hominibus: & quia inimici hominis, domestici eius: nec credendum, si quis dixerit: Ecce hîc, aut ecce illic. Doctus sum damno meo, & vtinam ad cautelam maiorem, & non ad insipientiam mihi. Cautus esto (ait quidã) cautus esto, serua apud te quod dico. Et dum ego fileo, & absconditum credo, nec ille silere potest, quod silendum petiit, sed statim prodit me & se, & abiit. Ab huiusmodi fabulis & incautis hominibus, protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec vñquam talia cõmittam. Verbum verum & stabile da in os meum, & linguam callidam longè fac à me. Quod pati nolo, omnimodè cauere debeo.

*Mich. 7.*

5 O quàm bonum & pacificum de aliis filere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili vlteriùs effari:

K

paucis

*Prov.* 25 *& Esa.* 24. paucis seipsum reuelare, te semper inspectorem cordis quærere: nec omnivento verborum circumferri, sed omnia intima & externa, secundum placitum tuæ voluntatis, optare perfici. Quàm tutum, pro conseruatione cælestis gratiæ, humanam fugere apparentiam, nec appetere quæ foris admirationem videntur præbere: sed ea, tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant & feruorem.

6 Quàm multis nocuit virtus scita, ac præproperè laudata? Quàm sanè profuit gratia silentio seruata in hac fragili vita, quæ tota tentatio fertur & militia?

## CAP. XLVI.

*De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum iacula.*

*Dñs.* 1 **F**lli, † sta firmiter, & spera in me. *Ej.* 36. Quid enim sunt verba, nisi verba? Per aërem volant, sed lapidem non lædunt. Si reus es, cogita quòd libèter emendare te velis. Si nihil tibi cōsciū es, pensa quod velis libenter pro Deo hoc sustinere. Parum satis est, vt vel  
verba